

Oratio anniversaria a Gulielmo Harveio instituta in theatro collegii medicorum Londinensium habita festo sancti Lucae Oct. xviii A.D. MDCCLXIX.

Contributors

Adee, Swithin, 1704-1786.

Publication/Creation

Oxonii : E Typographeo Clarendoniano. Prostant Dan. Prince; & Benj. White, Lond, MDCCLXX. [1770]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/wxj89upz>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

2

ORATIO
ANNIVERSARIA

A GULIELMO HARVEIO INSTITUTA

IN THEATRO COLLEGII

MEDICORUM LONDINENSIIUM HABITA

FESTO SANCTI LUCÆ

OCT. XVIII. A. D. MDCCLXIX.

OXONII,
E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO.
Prostant DAN. PRINCE; & BENJ. WHITE, LOND.
MDCCLXX.

OPERA
ANIVERSARIA

A GULIELMO HARVEIO INSTITUTA

IN THEATRO COLLEGII

MEDICORUM LONDINENSIVM HABITA

PRISTO SANCTI LUCE

OCT. XVII. A.D. MDCLXIX.

OXONIA
E TYPOGRAPHO CLARENDOVIANO.
PRIMUM DAV. PRINCE; & DEIN. WHITE. LOND.
MDCLXX.

THOMÆ LAWRENCE

DIGNISSIMO PRÆSIDI

SOCIISQUE SPECTATISSIMIS

COLLEGII MEDICORUM LONDINENSIIUM

HANC ORATIUNCULAM HUMILLIME

D. D. D. Q.

SWITHINUS ADEE

Ejusdem Collegii Socius.

THOMAS LAWRENCE

DIGNISSIMO PRESID

SOCIISQUE SPECTATISSIMIS

COLLEGII MEDICORUM LONDINENSII

HANC ORATIONEM

D. D. D. G.

SWITHINUS ADER

Ejusdem Collegii Socius.

HODIERNUM hocce munus mihi a dignissimo Præfide demandatum ardua sane res est et perdifficilis, ei præsertim, qui neque usu fatis, & ingenio parum potest. Verendum quippe est, ne dum alienas laudes celebrare studeat Orator, comminuat suas. Tam trita scilicet est via, & disertissimorum virorum vestigiis tam diu conculcata, ut materies dicendi defit; ut una mehercule sententiola, quæ aliquid novi apportet, vix vi exprimi possit. Iteratas laudationes repetere non minus perorantibus quam audientibus permolestum, eadem vero prætermittere nefas esse, & beneficiorum immemoris exprobatio videatur.

LICEAT igitur Medicinæ originem ab antiquis temporibus deductam recolere, incrementa investigare, Professores artibus ingenuis instructos, & disciplinis institutos, in memoriam vestram revocare. Homerus¹ Pæona, Pindarus² Chironem, Æschylus³ Prometheus, Ægyptii⁴ Isidem, alii alios hujus Scientiæ repertores statuerunt. Eam disciplinam, quamvis multis difficultatibus impeditam, multisque fabulis involutam, in summo tamen honore habitam fuisse constat ex eo, quod In-

¹ Il. 1. 400. ---

² Nem. iii. ---- Plin. N. H. fol. vii. §. 56.

³ Prometh. 468.

⁴ Diod. Sic. lib. i. c. 25.

ventores in Deorum numerum evecti sunt, sicut Temppla frequentia iisdem dedicata testantur.

IN his Artis Medicæ primordiis, infandum visu! Ægroti in foro jacebant, miseram trahentes vitam, sua infortunia lugentes, implorantes opem, efflagitantes remedia, & a prætereuntibus mendicantes sanitatem¹. Tum medicamenta admota sunt non satis perspecta, sed usu perquam exiguo probata; ita ut fortuita potius quam scite excogitata considerentur. In progressu temporis ampliorem accessionem sibi fecit hæc facultas, quæ ad Scholas Philosophorum transfivit, ubi magis exculta, & ad rationis normam aliquatenus directâ fuisse creditur. Per aliquot sæcula iidem viri animos hominum & corpora, mores morbosque simul curabant Sapientiæ & Medicinæ unâ Professores. Morbi tunc cum remediis, vel parietibus delubrorum inscripti, vel votivis tabulis suspensi undique, sicut incondita Sibyllæ folia, dispertiebantur.

AB hoc fonte ad Hippocratis usque ætatem derivata fluebat Medicina. Illius erat morborum seriem colligere, signa notare, in ordinem ea disponere, eventibus invigilare, mortem salutemve prædicere, eâ profecto diligentia atque accuratione, ut in hoc negotio primus &

¹ Herod. p. 83. Gale.

pene ultimus habeatur artifex, proponens plane nobis singularis acuminis & judicii ingentis exemplar.

HUJUS vestigia persecutus est Atticæ magister elegantiae, Galenus: utinam eis pedetentim institisset ut fidelis pedissequa, non ut curiosus erro. Certe quidem meliora, si pauciora, perscripisset, si non umbratilis philosophiæ sapientia illum a Naturæ contemplatione deflexisset.

ARETÆUS non aliorum, sed suis tantummodo scriptis notus, uni Hippocrati secundus, primoque pene par. Oribasius, Aetius, cæterique inferioris ævi scriptores Græci, plurima subsidia de alienis, paucissima de propriis opibus ad nos detulere.

ROMANIS haud defuerunt ingenia saltem non mediocria, qui sese Græcorum thesauris locupletasse videntur. Inter primores certe sine exemplo annumerandus est Celsus, vir brevitatis et elegantiae studiosissimus. Quæcunque ex Hippocrate desumserat fecit sua, vel feliciter vertendo, vel luculenter interpretando; non ut servilis imitator; quippe qui Magistro suo sese fidenter opponere non pertimuit. Si inspiciamus mirabilem corporis humani fabricam, quam subtiliter; si figuras ossium, quam accuratè; si morborum species, quam so-
lenter; si commoditates medicamentorum, quam auspicate ea omnia demonstravit?

PERSPI-

PERSPICUITAS & venustas, quibus abundat Celsus, in Cælio Aureliano magnopere desiderantur. Tantâ nempe hic obscuritate laborat, ut instar Sepiæ, suâ se caligine involvat; tantâ verborum barbarie, ut tædium, fastidium, nauseamque lectoribus excitet. Utrasque linguas Græcam & Romanam miserè permiscuit, & dissonâ verborum farragine paginas suas omnes inquinavit, Sorano prorsus indignas. In hoc tamen Sterquilinio invenienda est gemma. Morborum similibus differentias statuit, Methodicorum disciplinam exploravit, priorum medicorum curationes amissas eruit e tenebris temporumque ruinis. Hunc auctorem magis expurgatum & melius illustratum accepissemus, si suas observationes nobis communicasset doctissimus Leatherlandus; cui inerat summa morum benignitas, singularis simplicitas animi, memoria apprimè tenax, pudor amabilis. Ab utrisque Celso Cælioque discendum est, quantam ex perditis Græcorum libris jacturam, nunquam, cheu! nobis refarciendam, fecit Medicina.

HIS succedere, longo tamen intervallo, Arabes, qui armis undique invec̃tis litteras una cum imperiis devastabant; quibus captiva potius duci Medicina videtur, quam studio liberali foveri. Nec mirum quod illi a medicinâ promovendâ defecissent, qui nihil fere lectu nihil cognitu dignum existimabant, præter ea, quæ
unico

unico Alcorano suo continebantur¹. Plurimam Medicæ scientiæ supellectilem ex Græcorum armariis expilasse, paucas tamen & novas morborum numero addidisse putantur. Inter illos Arabibus primum innotuere Variolæ suis regionibus familiares. Illinc pestis acerba totam Europam pervagata est, adolescentibus pernicioſa, puellis damnoſiſſima, ſed vix noſtris temporibus extimeſcenda. Arabibus certe laudi dandum eſt, quod temperatâ medendi methodo, quod egelidorum medicamentorum auxiliis utebantur; quibus morbi malignitas februmque incendia pauliſper extinguerentur.

MONACHORUM tandem carceribus concluſa jacebat cum aliis omnibus Scientiis Medicina, prorſus intermorta, pene ſepulta; nec niſi victâ & pereunte Conſtantinopoli in lucem vitamque reducenda. Hinc tenues Græcorum reliquiæ ſolidis literaturæ fundamentis inſtructæ per orbem ignorantia obrutum diſſeminatæ, alienas ſedes exquirebant; hinc languentes diſciplinæ, Italiæ glebâ artium feraci cultæ, reſſoreſcere cæperunt; hinc Anglia orientia literarum lumina ſuſpexit & venerata eſt.

FAS ſit clariffimorum virorum, qui nobis hæc beneficia contulerunt ſine invidia, ſed non ſine admiratione proſequi. Fas ſit Fundatoris noſtri benevolen-

¹ Abul-Phraragii Hiſt. Dynaſt. 114.

tiam, & Benefactorum liberalitatem strictim & timidè perstringere. *Henricus Octavus*, ut religionis fordes egeret, ut Sacerdotes defidiâ torpentes, luxuriâ diffuentes, ignorantia obcæcatos religaret, artes scientiasque sopitas exfuscitare studuit. Inter has Medicinam exoletam, circumforaneam, nundinatum in animo fuit refingere. Eam rationem, eaque consilia inibat, quibus ipsa Medicina remediis non egeret; quibus indocti refrænarentur, quibus audaces deturbarentur, quibus salus populi, maximum profecto hujus vitæ solatium, maximum reipublicæ præsidium, conservaretur. Illius adstitit dextræ *Linacrus*, cujus consiliis in Collegio hoc nostro constituendo Rex utebatur quam familiariter.

LINACRUS prima literarum fundamenta Cantuariæ posuit, earum sitim immensam Oxoniæ levavit, fontes a Græciâ Latioque deductos Romæ Florentiæque pene exhaustit; Ulyssis ad instar peregrinatus est & perdidicit. Præceptis literatissimorum hominum imbutus, Optimatum patrociniis sustentatus, amicitia Principum cohonestatus, Angliam rediit ea dignitate atque amplitudine famæ, quâ Mummius Romam: Majores insuper se triumphos agere *Linacrus* probe intellexit, qui literas captivas domum reportavit, quàm qui pretiosas artificum elegantias, luxuriæ oblectamenta, corraferat.

Quod incepit *Linacrus* Oxoniensis, perfecit Cantabrigiensis

brigiensis *Caius*. Utrosque idem literarum & peregrinationis amor, eadem morum similitudo, idem ad medicinam promovendam incredibilis ardor incendebat. His accessere multi præclari viri, quibus studio fuit nostram Societatem vel scriptis suis exornare, vel beneficiis augere. Nobiles etiam viri inter Socios ascribi non indignati sunt, nec suorum dignitatem imminutam putabant augendo nostram ¹.

HARVEIUS — Venerabile nomen — non solum fortunis suis hoc Collegium, sed scriptis totum terrarum orbem ditavit, & eis profecto inventis, ita verecundè propositis, ita evidenter explicatis, ut nemo majora, nemo paria in rebus medicis uspiam excogitaverit. A summâ tamen excellentiâ ad invidiam proclivis est via. Obtrectatorem Bavium habuit Virgilius, Zoilum Homerus, Riolanum Harveius. Cunctis ille præconiis dignus nullorum indiget; quippe omnia laudationis argumenta præripuisti, Tu doctissime *Præses* ².

HIS ædibus perditorum hominum avaritiâ & temporum inauditâ acerbitate proscriptis extabat *Hamæus*, qui eas ex integro redemit. His ædibus rapidissimo incendio conflagratis, consumptis, dirutis, non defuit *Hamæus*, quin summâ cum elegantiâ suis pecuniis eas de-

¹ Marchio Durnarvarie, Duces Montifacuti & Richmondie.

² V. Harveii vitam ante illius opera, 4^o. 1766.

nuò ædificavit; eas scilicet, quas posthac nostras vocare ex dominatione Civium ne vix licitum fore ve-reor.

OMNES enumerare qui huic fodalitio vel emolumento vel ornamento fuere, mihi vobisque *Illustrissimi Socii*, defatigationem incuteret. Prætereundi tamen in dicendo non sunt ii qui rem Anatomicam excoluere: Brigge-fius oculum, Lowerus cor, Glissonus jecur, Whartonus glandulas, Needhamus fætum investigavit: eoque artificio excelluerunt omnes, ut vix quicquam posteris reliquerint præter æquandi difficultatem, superandi impotentiam.

INTER eos, qui in curatione morborum præcipue versati sunt, exstiterè Willisius & Mortonus; qui quidem omnia præclarè perscripserunt, nisi in Θεωρίαις principiis ab incertis petitâ sibi met ipsis nimis indulgerent. Supra Professores veruntamen omnes, quotquot medicinalem artem exposuere, perpetuis est præconiis honestatus, & per futurorum sæculorum decursum usque celebrandus erit, alter Hippocrates, *Sydenhamus*. Si contemplemur animis vel illius in describendis morbis ἀκριβείας, vel in distinguendis peritiam, vel in judicandis sagacitatem, vel felicitatem in sanandis, fidelem illum Naturæ interpretem fuisse necesse est agnoscamus. Qualem Scriptorem eum esse existimatis? levem? imo gravissimum: negligentem?

negligentem? imo studiosissimum: mendacem? imo veracissimum: qui errores suos audet confiteri, ardet corrigere; *cui virtus socia vitæ, cui mortis comes gloria fuit.*

Non unquam a me multis beneficii vinculis obstricto obliviscendus erit *Meadus*: in quo primario viro, literæ patronum, artes arbitrum, scientiæ magistrum, tyrones medici quasi ministrum sibi conciliabant. Eâ dignitate atque urbanitate inclaruit, quæ deceret Aulicum, eâ liberalitate & munificentia, quæ Principem ornaret, eâ humanitatis suavitate, quæ omnes ad se homines alliceret, eâ interea facilitate morum, quæ callidorum consiliis se parumper exponeret. Aliis fit gloriæ divitias coacervare, huic contemnere¹.

QUI nos auctoritate, ætate, & rerum usu antecessere Medici, id unice in votis & studiis habuisse videntur, ut Medicina rerum naturæ contemplationi & unâ simul literarum fastigiis instaret. Eadem nempe est scientiarum, ac civitatum inter se cognatio, & commune quoddam vinculum, quo aliæ aliis subveniant, & mutua sibi invicem administrent subsidia. Ecquis in reconditis Sapientiæ penetralibus Pelletto perspicacior? Ecquis in humanioribus litteris Friendo politior? Ecquis in rebus poeticis Hannefio Gartheoque elegantior? Ecquis

¹ Plura vide in calce opusculi.

in mathematicis Jurino sagacior? Iidem insuper omnes præstantes & egregii Medici; qui ex scientiarum quasi collifu lumen extuderunt.

ALIA jam nunc res agitur: apud alienas Academias brevius fit ad Medicinam iter; Servi iterum in medicorum numerum sese infnuant, non qui apud Athenas septem annos studiis dedere, sed qui ex tabernis sunt & ex officinis effusi. Jam patet janua Pharmacopolarum tironibus, Chirurgis maritimis, & masculis obstetricibus, eis plerumque qui ne fando auditi, nedum ullius Professoris oculis unquam conspecti fuerint. Indignum facinus! Quid enim inhonestius? quid audacius, quid injuriosius reipublicæ concipi possit, quam imperitos & illiteratos homines medicinæ gradibus per tabellarios ornari, & in eam professionem furtim intrudi, quibus concredendæ sunt populi salus civiumque vitæ? Sed, proh dolor! ad eam temporum infelicitatem nos reservari videmur, quibus omnia complananda sunt & coæquanda, omnes modestiæ limites transfiliendi, propter speciosos pro libertate clamores, a libertate veruntamen alienissimos.

INTER hos mobilium Quiritium tumultus, huic nostro inermi domicilio bellum indicitur. Audite Collegæ — quæ neque taceri, neque pro dignitate rei dici possunt. Ex Vulcani adytis in Apollinis castra irrumpendum est. Aspicite — præest Faber Ferrarius, uncum
dextrâ

dextrâ vibrans durumque malleum ; domus hæc oppugnatur, fores pessundantur, claustra evelluntur, repagula perfringuntur, fenestræ conquassantur. Hostes introeunt, accumbunt, cavillantur, rixantur, criminantur, elabuntur. O præclaram victoriam de postibus, de foribus, de pessulis, de fenestris reportatam ! Ipsi mehercule suis victoriis sunt victi.

HONESTA & liberalis Medicina fatetur se bene moratam esse, pacis studiosam, litteris deditam ; non bellulè dicere, non ad voluntatem loqui posse, non in potentium domos, & ægrorum cubicula, quasi per obsequii rimas irrepere ; non aucupia verborum & nugarum tendiculas ad mulieres captandas porrigere ; non lapidibus undique congestis insenescere ; non cum Scipione conchas legere, vel cum Domitiano muscas transfigere : — Contra — sibi fidem, officium, existimationem, dignitatem, vitamque omnino illibatam, cordi fuisse.

ALIA humanitatis, alia illiberalitatis est ratio. Equis est ille Vir qui se gerit erecto capite, bene compositis cincinnis capillato ? qui in vestem auro distinctam sese induit, qui oculos in seipsum suos nunc retorquet, nunc undique circumvolvit, ut ambulantium salutationes arripiat ; qui per urbem agit equos volucrumque currum ? Vaser est nebulo, qui scamno victum quæritaverat, ex Circumforaneorum collegio elapsus, infimæ plebis fordida eluvies, vulgi tamen intrac-

tabilis

tabilis deliciæ. Nihil est quod ille non audet promittere; nihil quod sibi non arrogare, nihil quod non dicere — præter vera. Latet, O Cives, in haustu porrecto venenum, in ipso Medico pestis. Piget quotidianarum harum chartarum, quibus animi plebeculæ sollicitando & pollicitando lactantur; quibus voracissimæ Libitinæ fatiatur ingluvies.

HANC perniciem ab urbe procul amandare nostro Collegio nondum conceditur. Nostrum est solummodo jura & privilegia olim nobis tradita tueri, malevolos castigare, indoctos repudiare, præstantes vero moribus & ingenio complecti, honoribus & beneficiis amplificare. In his rerum asperitatibus, si labores ingruant, suscipiendi sunt; si inimiciæ, subeundæ; si insidiæ, evadendæ; si injuriæ, propulsandæ. Ecquid enim est utilius, quam istam disciplinam sartam tectam conservare, quæ ægrotos a morborum cruciamenis ad tranquillitatem, a desperatione ad spem, a morte propemodum ad vitam revocare potest? Cavendum est igitur in republicâ sapienter formandâ; ne ea Medicis benè institutis & liberè eductis careat: in Oratione, ne tædium afferat. Orationi igitur pro materiâ levissimæ, pro Oratoris facultatibus satis longæ, finis est imponendus: & meis lateribus vestrisque simul auribus parcendum.

M E A D U S.

P O E M A

GRATI ANIMI TESTIMONIUM

EDITUM A. D. MDCCLV.

ITERUMQUE A. D. MDCCLIX.

Ἰήρος γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀνίσταται ἀλλων.

M E A D U S

P O E M A

GRATI ANIMI TESTIMONIUM

EDITUM A.D. MDCCCLV.

ITERUMQUE A.D. MDCCCLIX.

1855

M E A D U S.

USQUE adeone premunt ingrata silentia vates?
 Clauditur obscuro Meadus sine laude sepulchro,
 Deliciæ, patriæque decus, columenque Britannæ?
 Si mihi Musa daret locupletem in carmina venam,
 Urbanos mores, generosæque pectora, & artes, 5
 Famamque ingentis medici super æthera ferrem.
 Sed tamen aggredior cantare, utcunque minuto
 Pectine sollicitans citharam, timidisque secutus
 Passibus errantem faustis regionibus umbram.

Te testem, O Hygieia, voco; tu nempe videbas, 10
 Tu — quoties *Morbum* prostraverat ille rebellem;
 Seu celer insultu ægrotos, tardusve petivit
 Infidiis: Timor huic, Pallorque, & nubila Cura
 Addunt se comites, qui vix traxisse videntur
 Languidulos artus; quin, Meadus ut arduus instat, 15
 Præcipitant, sedesque suas, Erebumque revisunt.

Heu perit ante alios dilectus Apolline natos,
 Herbarumque potens, ægrotique arbiter orbis!
 Cui Deus ipse suas lætus donaverat artes,
 Eloquium, auguriumque sagax, usumque medendi. 20

Hujus

Hujus erat morbos meminisse fideliter, hujus
 Percurrisse animo veterum monumenta virorum,
 Et medicæ complecti armamentaria gentis.
 Ecquis erit posthæc, qui pellat acerba venena,
 Qui pestem avertat, solis lunæque dolores 25
 Qui regat imperio, morborum temperet æstus,
 Et spoliet sævis invisum dentibus Orcum?
 Non magis Alcides, odiis Junonis iniquæ
 Pressus, terrores infernis incutit oris;
 Horrescit refugitque nigrantis janitor aulæ 30
 Cerberus, & triplici trepidans obmutuit ore:
 Pluto tartareas mortalem invadere sedes
 Vidit, & ex imo tremefecit lurida regna.

Hunc gemit Eridanus, qui flumina vortice torquet,
 Sequana amica luto, & Thamefis pater omnibus undis:
 Isis adest fundens lacrymas, sociasque querelas,
 Numinaque obducto Batavûm squalientia cæno.
 Hunc Diabeta timet, jecoris novus incola; & Hydrops
 Pallidus ore, frequens spirando, turgidus alvêo;
 Et Rabies patiens fitis, indignataque lymphas. 40
 Hunc orant querulæ matres, ad pectora natos
 Pressantes, ægri generis sarcire ruinas.
 Eripis instanti pavitantem morte puellam,
 Deformemque notis urentibus; unde decorem
 Amissum timet & laceri fastidia vultus: 45
 Semianimemque patris revocas in dulcia natum
 Oscula, sustentasque domum, dubiosque penates.
 Immemorem

Immemorem facti me nulla redarguet hora,
 Luſtantem me febre ferâ, delira loquentem,
 Frigida prætentâ rapientem pocula dextrâ; 50
 Errantes quanto ſenſus demulſit amore
 Meadus, & O! quantâ lecto defixus inhæſit
 Sedulitate meo, ſalientes impete pulſus
 Contingit teneris digitis, ſtabilitque ruentem
 Colloquio mentem, gratis ſimul ille medelis 55
 Sublapſas retrahit vires, animamque fugacem.

Ecquis nunc famam medicinæ extendat avitam?
 Occidit ante diem Friendus, quo doctior alter
 Naturæ interpres nec erat, rerumve repertor.
 Libris præla licet Batavorum plurima ſudent, 60
 Prægravet immenſis exculpta Boruffia chartis
 Scrinia doctorum, non Phœbo gratior ulla eſt,
 Quam quæ, Friende, tuum jactavit pagina nomen.
 Quot lacrymas fudit mater Redycina? *Fruinus*
 Pectora percuffit manibus, preſſo ore filebat. 65
 Tum tu, Meade, preces in numina furda tulifti,
 Tendens auxiliumque manu, miſeroque medelas,
 Tentamenta moræ: Vitreos attollere fruſtra
 Nititur ille oculos, raucâ te voce vocare
 Trifte miniſtrantem, ſanamque vovere ſenectam. 70
 Interea trepidant digiti, riget obſita muco
 Verborumque expers lingua, infudantia membra
 Frigore ſolvuntur, mortisque obducitur umbra.

Fratribus his junxit *Concordia* fœdere dextras,
 His ambobus erat mens una atque una facultas 75
 Erigere ingenuos & debellare protervos;
 His & honoratum Medici demittere nomen
 Natis natorum, & fatis dominarier atris.
 Dum tanti vixere viri *Medicina* vigeat
 Simplex, damnosæ impatiens farraginis, omnem 80
 Oderat ornatum; simul ut caput egit honestum,
 Concutiens Virgam intorto serpente timendam,
 Protenus imbellis, dea vulgi, *Empeîria* fugit
 In latebras, accincta dolis spoliisque referta;
 Dentibus infremuit, duxit suspiria, lugens 85
 Perfractamque fidem, *Secretaque* conscia mortis.
 Eugenius sic olim ingens & Malburus armis,
 Confiliis freti fociis, virtuteque juncti,
 Fregerunt vires Gallorum, perfidiamque
 Fœdera fervare indocilem, pacemque tueri. 90

Audio quos tristes gemitus? Quæ turba dolore
 Perculsa infanit, cœlumque ululatibus implet?
 Scilicet horrificis coeunt plangoribus *Artes*,
 Plorantque abreptum crudeli morte patronum.
 His statuere choros penetralibus, his sua lætæ 95
 Deposuerunt opera & fixere cubilia tectis,
 Judicium subtile viri nutumque manentes.
 Digna stetit decorum pretioso emptore supellex
 Principibusque viris, largoque fluentibus auro.

Digna

Digna quidem decorare superba palatia regum. 100
 Proh dolor heu ! quantum multos congesta per annos
 Ingenii monumenta ruunt, dispersa per urbes,
 Ut membra Absyrti Medææ vulsa furore.
 En quo perduxit cæcæ focordia mentis
 Cives ! tempus erit magno cum optaverit emptum 105
 Anglia Musæum, quo non præstantius ullum :
 Gazasque amissas imo de pectore flebit,
 Discerptas & opes & non reparabile damnum.

Has cives & Roma suos & Etruria misit
 Visere reliquias, priscorum signa virorum, 110
 Marmora, picturasque, ærataque numina quondam
 Relligione sacra, elapsis quæ Græcia sæclis,
 Doctrinæ nutrix, mirâ fabricaverat arte.
 Tros velut Æneas, Carthagini advena regnis
 Supplex ignotis, tacitâ dulcedine captus, 115
 Iliacas miratur opes, vestesque, virosque,
 Mœnia victa dolis, & non sua Pergama flammis.
 Omnia sic oculis circumspicit Italus hospes,
 Socraticamque domum Meadi, simulachraque Graiûm,
 Portantesque Lares in regna Britannica Romam. 120
 Hæret in obtutu defixus, imagine rerum
 Et stupet, & dulces patriæ obliviscitur agros.

Hospitio illustres Peregrinos Meadus amico
 Excepit, lautisque epulis assuescere jussit.
 Nunc blandum alloquium jucunda per otia mensæ 125
 Sermonesque

Sermoneſque ferit, juvat uſque in verba morari,
 Et pendere ſuper mellito ex ore loquelas,
 Socraticiſque ſcholis dignas & Apolliniſ aure :
 Seu velit arcanos rerum penetrare reſeſſus,
 Æthereæſve vias, *Spatiivæ* per ardua ferri, 130
 Abdiſta ſeu chymicæ miracula recludere flammæ,
 Quærere ſeu verum ſylvis, herbiſque ſalutem,
 Aut mores hominum ſcrutari, haud inutilis auctôr.
 Purior haud vitreis ebullit fontibus unda,
 Quam quæ, Meade, tuo fluxerunt pectore voces: 135
 Nubibus è vernis non gratior excidit imber,
 Agricoliſ fata læta ferens, & gaudia pratiſ.

Non Meadi tantum concluſa Britannia ponto
 Compelſcit nomen, peregrinas involat oras,
 Quò, maris immenſi regnator, Georgiuſ altas 140
 Tranſmittit naves, Britoneſ quò fulmine terrent
 Heſperiaſque plagas, & Eoi mænia mundi,
 Lucra reportanteſ alieno parta labore :
 Illiuſ hinc & dextra potens & gnara medendi
 Poſcitur in thalamos alio ſub ſole dolenteſ, 145
 Regum regnorumque unà invigilare ſaluti.
 Niluſ ita ingenti ſe volvent agmine, magna
 Montis Abyſſini proleſ, circum inguina cinctuſ
 Veſte papyraceâ, vitreamque recliniſ in urnam,
 Fundit aquaſ, alimenta viriſ, terrique ſalutem, 150
 Diſſiſta regna beat, ſuperiſque inſcribitur aſtriſ.